

requiritur ut compensationem facturum non tantum bene norit quid generatim exigi possit pro servitio quale ab eo praestatur, sed etiam ne, amore proprio obcaecatus, peritiam, industriam et laborem suum ultra modum aestimet.

3° Si famulus *sponte* auget operas suas vel artifex industriam promissam, nihil possunt propter hanc rationem occulte surripere, eo quod nullo contractu expresso vel tacito jus ad mercedem hujus laboris acquirunt; si vero ob voluntatem domini vel clientis expressam aut tacitam ita agunt, jus strictum ad eandem mercedem acquirunt, ideoque, intra limites statutos, compensatione uti poterunt.

§ 4. DE MATERIA GRAVI IN FURTO.

506. Gravitas materiae in furto desumenda est e gravi detrimento quod, per injustam ablationem rei alienae, infertur fini ob quem rerum externarum dominium incolume servetur oportet. Hic autem finis, ut bene exponit Lehmkühl (I. n. 931), duplicem habet respectum: unum ad singulos homines, ut inter eos pax et concordia vigeant; alterum, ad universam societatem humanam, ut in ea serventur securitas et necessarium incitamentum ad industriam laboresque sustinendos. Ideo gravitas furto accedere potest ex alterutro respectu.

Ob priorem respectum, grave censebitur furtum rei ob cujus ablationem dominus rationabiliter gravem tristitiam et aversionem a fure concipiat. Manifestum est in hoc casu quantitatem quae grave furtum constituat fore proportionatam domini facultatibus ejusque tristitiam et indignationem rationabiliter crescere cum inopia ipsius; insuper attendendum esse ad subripiantis personam, quia erga aliquos, ex. gr. uxorem et filios, minus rationabiliter erit graviter invitus. Ideo ea quantitas quae, ob respectum ad hunc particularem dominum et furem, grave peccatum efficit, dicitur **relative gravis**. Haec attendenda quotienscumque agitur de furto quod fiat uni particulari homini, nisi sit extraordinarie dives. Si quis enim ingentes divitias habet, videri potest eum ex ablatione summae etiam notabilis nullum serium damnum pati, nec rationabiliter gravem tristitiam concipere. Sed in illo casu ulterius investigandum est num forte e respectu ad securitatem et bonum universae societatis humanae gravitas huic rei alienae ablationi accedat.

Jamvero, licet furtum summae satis notabilis non afferret serium damnum hominibus ditissimis vel communitatibus, ac proinde leve tantum peccatum videri posset, securitas tamen societatis humanae postulat ut furtum sat notabilis summae vel valoris numquam non constituat peccatum grave. Si enim sub levi tantum prohiberetur, multiplicarentur

quamplurimum hujusmodi furta, puta falsificando merces, fraudando in pondere et mensura etc., ac proinde notabiliter noceretur securitati et fiduciae commercii humani. (Lugo, disp. 16. n. 29) Ideo statuenda est aliqua summa quam numquam sine gravi peccato a quolibet auferre liceat, et quae propterea quantitas furti **absolute gravis** vocetur.

507. Ad quantitatem relative gravem pressius determinandam, DD. communiter statuunt: ut furtum, quod in unius domini praejudicium fit, peccatum letale constituat, requiri et sufficere illam quantitatem qua dominus, juxta condicionem suam, ad se cum familia sua singulis diebus alendum indigeat: quae regula, ut notat S. Alph. (n. 527), valde obscura est, nec universe pro omnibus valet. Hinc tamen licet concludere, quod clarius est, graviter peccare eum qui operario diurnam mercedem seu salarium furetur, cum, saltem regulariter, salarium aequivaleat diurnae sustentationi operarii cum familia sua.

Ingens vero est auctorum dissensio ubi materiam tum relativam, tum absolutam, certa pecuniae summa determinare volunt. Hinc patet fieri non posse ut talia arithmetice definiantur, sed, exceptis limitibus extremis, multa esse intermedia quae e variis temporum et locorum circumstantiis, judicio prudentis viri, dijudicanda maneant.

Juvabit tamen ad hoc judicium efformandum sequentia prae oculis habere:

1° Non esse attendendum valorem pecuniae *absolutum*, sed *relativum* seu ejus conducibilitatem ad procuranda sibi quae vitae necessaria vel utilia sunt, ut cibos, vestes, etc.

2° Valorem hunc pecuniae a medio aevo plurimum minutum esse, tum ob detecta nova auri argentique metalla, tum ob emissam monetam papyraceam, ideoque hodie majorem summam requiri ad furtum grave constituendum quam saeculis elapsis, immo quam primis saeculi decimi noni decenniis. (1)

3° Nec nostris temporibus idem est pecuniae valor in omnibus regionibus, etiam excultis, ne de remotissimis et barbaris loquamur, in quibus saepe paucis assibus labor et victus diurnus constant. Ita minor est pecuniae valor in America et Australia quam in Europa, in Anglia quam in Belgio, in Belgio quam in Italia, etc. Ideo etiam AA. qui nostro tempore in variis regionibus scribunt, rationabiliter in determinanda furti gravis quantitate ab invicem dissidere possunt.

4° In regione nostra haec videntur teneri posse ad materiam relative

(1) Pecuniam ab anno 1790 ad nostra tempora, fere 30 % ad 40 % valoris sui relativi amisisse opinantur peritissimi Oeconomistae. Cfr. P. Leroy-Beaulieu, *Essai sur la répartition des richesses*, p. 104.

gravem determinandam, quantum moraliter fieri potest : erga pauperes, ab 1 ad 2 francos; erga operarios ordinarios a 2 ad 3, nisi (ut non raro, praesertim ruri, contingit) multo minus salarium lucentur; erga homines fortunae mediocris, seu etiam quorum condicio fortunae ignoratur, a 7 ad 10; pro divitibus, non tamen extraordinarie opulentis, a 15 ad 20 fr.

5° Tamquam summam absolute gravem, alii 20 fr., alii 25 (Haine), alii 30 (D'Annib., Buccer.), alii 25-35 fr. (Lehmkuhl), alii (Waffelaert) 40 statuunt. (1) Nec videtur haec ultima computatio pro regione nostra modum excedere, si attenditur ingens mutatio quae in valore pecuniae facta est a tempore quo multi AA. quos citat S. Alph. (l. c.) duos vel tres aureos (15 fr.) requirebant. (2)

508. Tres praecipue sunt circumstantiae ob quas ad peccatum grave amplior quantitas requiratur, nempe si fur arte conecitur cum rei domino, si res pertinet ad plures dominos, si eadem non uno furto, sed pluribus furtulis auferatur.

I. De furtis personarum conjunctarum.

1° Plerumque major quantitas requiritur in furtis quae a consanguineis vel amicis fiunt, quia dominus relate ad substantiam censendus est minus invitus quam ut eadem ab extraneis auferantur.

2° Generatim in furtis uxorum et filiorum requiritur materia duplo major quam in furtis extraneorum. Advertendum hic agi de casu quo auferuntur ea ad quae supradicti nullum jus habent (cfr. dicta de dominio uxorum et filiorumfamilias), et fieri posse ut requiratur etiam major quantitas, ut si auferrentur tantum esculenta, si filius jam adultus patrique operam navans quaedam ad honestos usus subriperet, si pater facilem se exhibere soleret, etc. Ita multi AA. ut Lessius, Sporer, etc. dicunt non peccare graviter eum qui furetur a patre divite 2 vel 3 aureos, qui hodie probabilius 40 fr. aequivalerent. (S. Alph. n. 543; Ball. P. n. 93)

(1) Pro Stat. Froed. Americae, dimidium dollarium sufficere erga mendicantes opinatur Konings, quartam dollarii partem, Sabetti; erga agricolas et similes operarios 1 doll. (ambo AA. citati); pro mechanicis 2 doll. (Sabetti); relate ad divites, 2 ad 3 doll. (Konings, Sabetti, Lehmkuhl); relate ad omnino divites, 5 doll. quae etiam summa a Sabetti dicitur absolute gravis, dum Konings 10 doll. requirit.

(2) Multo longius progreditur P. Palmieri in editione quam nuper (1898) adornavit Compendii Theologiae Moralis, a P. Gury conscripti. Ibi enim (Vol. I. n. 607) haec scribit : " Audivi alios viros doctos, qui ob valde in dies imminutum pecuniae pretium vellent nunc materiam absolute gravem eam esse, quae centum plus minus francos exaequet, quibus haud aegre assentimus. „ Existimamus tamen doctum scriptorem majorem putasse deminutionem valoris pecuniae quam reapse sit : quare malumus sententiam tenere quae magis ad communem scriptorum coetaneorum opinionem aecedat.

3° Erga famulos qui furentur pecuniam aliasve res quae caute custodiantur, dominus non minus invitus est quam erga extraneos. Immo etiam in Cod. Poen. (a. 464 seqq.) furta domesticorum famulorum severius puniuntur quam furta extraneorum. Attamen minus inviti, saltem rationabiliter, sunt domini ne a famulis subripiantur esculenta vel poculenta. Dommodo haec non sumantur in quantitate vel qualitate extraordinaria neque extraneis donentur, probabiliter numquam deveniunt ad peccatum mortale. (S. Alph. n. 545)

4° Saepe pueri aliaeve personae timoratae grave peccatum committunt dum res exigui valoris subripiunt, quas falso sine gravi peccato auferri non posse autumant. Quare prudentis confessarii erit eos, dum ad quaelibet furtula fugienda sedulo excitabit, indirecte monere in iis nullum grave peccatum reperiri, dicendo, ex. gr. " Quamvis haec parva subriperere non sit peccatum mortale, tamen... „

509. II. De furtis rerum ad plures pertinentium.

1° Si qui eadem vice summam prorsus notabilem subripit ad diversos dominos pertinentem, graviter peccat, ut patet e ratione data n. 506, licet nulli pesonae particulari graviter noceat.

2° Si res sublata pertinebat ad plures nullum corpus morale constituentes, ex. gr. pecunia a pluribus collata ad communem finem proseguendum, neque ulli determinatae personae auferatur summa relative gravis, patet ad peccatum mortale requiri materiam absolute gravem.

3° Si res sublata pertinebat ad plures unum corpus morale constituentes, puta societatem commercii vel communitatem religiosam, plerumque ad grave furtum requiritur summa absolute gravis. Etenim minoris summae furtum plerumque nullum grave detrimentum inferet, neque personis physicis in unum morale coeuntibus, neque ipsi enti morali, quatenus singulorum civium instar dominium obtinet, contractus init, etc. Quandoque tamen minor subtractio vel damnificatio grave detrimentum inferre potest vel ipsi communitati qua tali vel etiam singulis qui pauci numero illam constituerent : in hoc casu comparanda erit summa ablata cum bonis quae a communitate possidentur, ut de norma relativa (n. 507) factum est.

4° Si res sublata pertinebat ad opus pium vel ad alium finem ordinabatur ita ut nulla persona physice existens jus strictum ad illam haberet, ad materiam absolute gravem tantum attendendum censemus, cum frustra aliunde quam e securitate humanae societatis gravis obligatio talia furta vitandi quaeratur.

510. III. De furtis minutis.

1° Possunt certe coalescere ad grave peccatum constituendum furta minuta in praejudicium ejusdem domini facta : siquidem notabile dam-

num ei inferre possunt. Cfr. prop. 38^{am} ab Innoc. XI damnata: " Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. "

2° Similiter dicendum etiamsi a pluribus dominis per plura furtula ablata est summa notabilis, ex. gr. fraudibus in pondere et mensura adhibitis. Patet e dictis n. 506.

3° Si plura furtula committuntur ex animo perveniendi ad summam notabilem, sufficit ad graviter peccandum eadem quantitas quae supra statuta est; sed videndum utrum uni an pluribus noceat furtum, ut consequenter relativa vel absoluta norma applicetur. Haec varia furtula per intentionem moraliter persistentem conjunguntur in unum peccatum grave in ordine ad confessionem. Cfr. n. 166.

4° Si abest animus determinatus magnam summam per partes surripienti, nec separantur furtula magno temporis intervallo, probabiliter ad grave peccatum requiritur summa duplo major in iis quibus eidem domino nocetur: quia minus detrimentum e talibus furtulis quam ex ablatione magnae summae sentitur ideoque domini minus censentur inviti. Similiter duplicanda erit summa absolute gravis, si aufertur res ad plures pertinens: quia talia furtula minus nocent bono communi. (S. Alph. n. 530; Ball. P. n. 74 seqq.)

5° Nullum dubium esse potest de veritate hujus generalis effati: " furta minuta non coalescere ubi magno intervallo separantur ", dummodo absit animus magnam summam per plura furtula coacervandi. Sic enim nullum grave damnum neque privatis, neque reipublicae infertur. At difficillimum est statuere aliquem certum limitem ultra quem numquam coalescant. Sapienter Ball. P. (n. 78) censet non solum temporis intervallum esse attendendum, sed etiam naturam rei quae surripitur et dispositionem animi in eo qui surripit; tum e communi sensu rem aestimandam esse, et, si gravitas incerta maneat, abstinendum a severiore iudicio. S. Alph. (l. c.) probat sententiam Roncaglia opinantis duorum mensium spatium requiri ne coalescant furta quorum quantitas non attingat quidem materiam gravem, sed *ad eam accedat*. Recte autem opinatur Ball. P. (l. c.) sufficere posse interdum spatium unius mensis vel brevius in furto *rerum omnino exiguarum*, ut si quis saepe per agros uvas, ficus, fabas, poma, etc. leviusculis furtis surriperet, etiam per plures annos in hac consuetudine perseverans. Immo unum alterumve pomum, racemum et similia e viridario vel vinea aliena interdum decerpere, probabiliter ab omni culpa vacat. Idem dici potest, ob praesumptum domini consensum, de operariis comedentibus usque ad saturitatem fructus ad quos decerpandos conducti sunt, et similibus. (Lugo, de Just. et J. disp. 16. n. 78)

6° Peccatum grave e pluribus furtis minutis, quae intentione non

uniantur, oritur quando fur advertens jam fere sublatam esse notabilem summam, eam novo furtulo complet vel jam penitus completam relinere statuit. (Lugo, l. c. n. 37 seqq.)

7° Qui per plura furta minuta jam ad summam gravem pervenit iterumque ab eodem domino rem levis valoris aufert, peccat leviter si, immemor gravis damni illati, hoc novum furtulum patrat; si vero hujus gravis damni memor est, novum illud furtum cum prioribus in unum peccatum mortale furti coalescit. (Lugo, l. c. n. 43 seqq.)

8° Si plures eidem domino levia quaedam auferant, licet omnia illa furtula simul sumpta quantitatem notabilem efficiant, nullus graviter peccat, etiamsi novit damna ab aliis illata, excepto casu quo ad grave damnum inferendum conspirarunt. (Lugo, l. c. n. 53 seqq.) Ratio est, quod nullus fuit gravis damni causa nec per seipsum, ut liquet, nec per alios: quippe qui supponantur damnum sua sponte intulisse.

9° Ablatio rei quae in se parvi valoris est, sed ad quam proprietarius multum afficitur, ex. gr. floris quem multo amore excoluit, canis quem praediligit, numquam constituit furtum grave. Sed eadem erit peccatum grave contra caritatem, si praevideatur proximum rationabiliter gravem dolorem ex illa oblatione concepturum esse. Immo posset evadere peccatum grave contra justitiam ob damnum quod inde sequatur, ex. gr. si quis furetur operario instrumentum exigui pretii sine quo laborare salariumque mereri non posset.

SECTIO III. — DE RESTITUTIONE.

CAPUT I.

NOTIO ET RADICES RESTITUTIONIS.

511. Restitutio, in sensu stricto quo hic usurpatur, est actus justitiae commutativae quo reparatur laesio juris alieni.

Obligatio igitur restituendi oritur tantum e laesione *justitiae commutativae*, non autem e laesione aliarum virtutum. Ratio hujus differentiae desumitur e diversitate objecti et motivi formalis harum virtutum. Justitia nempe commutativa respicit formaliter bonum aequalitatis, seu ut unusquisque habeat quod suum est jure stricto (cfr. n. 461) et nemo sine rebus suis maneat. Sicut ergo justitia commutativa obligat ne res aliena surripiatur, ita etiam prohibet ne jam subrepta servetur. Ideo res-